

DE LOCO QUODAM E CATONE MAIORE,

UBI DE

ANIMORUM IMMORTALITATE

AGITUR.

SCRIPSIT

CLEMENS SIEMERS.



DE JUD. GORDAN E. CYTOR. WAGNER.

1871.

STATISTIK DER VERBREITUNG

DES

ALLES

ALLES



Gravitate sententiarum et elegantia sermonis excellit liber Ciceronis, qui est inscriptus Cato maior. Ipse auctor, iam aetate satis provectus, in hoc libello de senectute loquitur et sui consolandi causa et amici T. Pomponii Attici, quemadmodum in prooemio ad illum dicit, et ita quidem loquitur, ut non facile quisquam ab eius lectione recedat, quin animo levatus ac recreatus fuerit. Summo iure de eo dici potest, quod Erasmus, ingeniosissimus ille et eruditissimus vir, de scriptis Ciceronis generatim atque universe scribit in epistola ad Joannem Ulattenum, cuius verba haec sunt: „Quis autem sumsit huiusmodi libros in manum, quin surrexerit animo sedatiore? Quis tam accessit moerens, qui non abierit hilarior? Geri videtur, quod legis, nec secus afflat animum tuum quidam orationis *ἐνθουσιασμός*, quam si ex vivo ipsius pectore ac felicissimo illo ore manantem audires.“ Primum Cicero varia argumenta exponit, quae non solum tolerabilem, verum etiam iucundam senectutem efficiant, deinde ad eas, quas se reperisse dicit, causas inquirendas accedit, cur misera senectus videatur, earumque causarum quanta quamque sit iusta unaquaeque, reliquo sermone persequitur. Postrema harum causarum haec est, senectutem haud procul abesse a morte. In qua refu-

tanda quum necesse habuerit, eam sortem commemorare, quae hominem post mortem maneat, gravissimum illud caput de animorum immortalitate aggressus varias rationes affert, quibus et sibi et aliis animos immortales esse persuadere cupiat. Quales illae sint et quantum singulae valeant, hac commentatione exponendum mihi proposui.

Ciceronis verba ex capite XXI sunt: „Quid multa? sic mihi persuasi, sic sentio: quum tanta celeritas animorum sit, tanta memoria praeteritorum futurorumque prudentia, tot artes tantae scientiae*), tot inventa, non posse eam naturam, quae res eas contineat, esse mortalem: quumque semper agitetur animus nec principium motus habeat, quia se ipse moveat: ne finem quidem habiturum esse motus, quia nunquam se ipse sit relicturus: et, quum simplex animi natura esset neque haberet in se quidquam admixtum dispar sui atque dissimile, non posse eum dividi; quod si non possit, non posse interire: magnoque esse argumento, homines scire pleraque ante, quam nati sint, quod iam pueri, quum artes difficiles discant, ita celeriter res innumerabiles arripiant, ut eas non tum primum accipere videantur, sed reminisci et recordari.“

De argumentis hoc loco expositis idem Cicero disputat in libro primo Tusculanarum quaestionum cap. XXIII. Neque tamen ea Ciceronis sunt, (ipse hoc ingenue fatetur,) sed potius Platonis, apud quem in Phaedro et Phaedone dispersa passim leguntur. Haud alienum igitur

*) Non dubitavi, recipere lectionem Casp. Orellii, missa vulgari: tot artes, tantae scientiae. Nam pluralis numerus vocis scientia in litteris latinis non facile usquam occurrit. Praeterquam recepta lectio sententiam praebet, quae omnino probari posse videatur: So viele Kenntnisse, die einen so großen Umfang des Wissens erfordern, id est, so viele Wissenschaften von so großem Umfang.

erit, in explanandis superioribus argumentis hos locos respicere, idque inde repetere, quod planius apertiusque dictum appareat.

1. „Quum tanta celeritas animorum sit, tanta memoria praeteritorum futurorumque prudentia, tot artes tantae scientiae, tot inventa; non posse eam naturam, quae res eas contineat, esse mortalem.“ Hoc argumentum ad animorum immortalitatem comprobendam nihil valere, quis non videat? Nemo saltem, nisi quis forte mentis errore affectus est, corpus hominis immortale esse ex eo argumentetur, quod artificiosissime illud constructum et ad omnia ministeria aptissimum sit. Quod si hoc fieri nequit, nec illud fieri unquam poterit, ut quis ex praestantissimis animi virtutibus coniecturam capiat, animum ipsum immortalem fore. Idem deus, qui corpus hominis condidit, animum eius praeclaris illis virtutibus exornavit, quibus praeterita complectitur, futura prospicit, multarum gravissimarumque artium scientiam colligit. Potest ergo idem deus, qui corpus morte dissolvit, animum quoque morte ipsa dissolvere.

2. „Quumque semper agitetur animus, nec principium motus habeat, quia se ipse moveat; ne finem quidem habiturum esse motus, quia nunquam se ipse sit relicturus.“ Hoc idem argumentum fusius explanat Cicero in Tusculanis quaestionibus, Platonis vestigia ingressus Praestat ipsa eius verba adscribere. Sunt autem hoc modo: „Quod semper movetur, aeternum est. Quod autem motum affert alicui, quodque ipsum agitur aliunde, quando finem habet motus, vivendi finem habeat necesse est. Solum igitur, quod se ipsum movet, quia nunquam deseritur a se, nunquam ne moveri quidem desinit: quin etiam ceteris, quae moventur, hic fons, hoc principium est movendi. Principii autem nulla est origo. Nam e principio oriuntur omnia; ipsum autem nulla ex re alia nasci

potest: nec enim esset id principium, quod gigneretur aliunde. Quod si nunquam oritur, ne occidit quidem unquam. Nam principium extinctum nec ipsum ab alio renascetur, nec ex se illud creabit, si quidem necesse est a principio oriri omnia. Ita fit, ut motus principium ex eo sit, quod ipsum a se movetur: id autem nec nasci potest, nec mori: vel concidat omne coelum, omnisque natura consistat necesse est, nec vim ullam nanciscatur, qua a primo impulsa moveatur. Quum pateat igitur, aeternum id esse, quod se ipsum moveat, quis est, qui hanc naturam animis esse tributam neget? Inanimum est enim omne, quod pulsu agitur externo: quod autem animal est, id motu cietur interiore et suo. Nam haec est propria natura animi atque vis. Quae si est una ex omnibus, quae se ipsa semper moveat, neque nata certe est, et aeterna est “ Cap. XXIII.

Neque tamen Cicero in utroque loco quidquam attulit ad persuasionem suam de animorum immortalitate constabiliendam. Verum quidem est, hominis animum semper moveri, quippe qui nulla intermissione facta aliud ex alio cogitet atque cupiat, et ne altissimo quidem somno oppressus unquam subsistat; sed huius motus principium in ipso animo positum esse, nequaquam probari poterit. Qui creavit animum deus, idem principium quoque motus ei concessit. Idem igitur sua voluntate eius motui finem constituere potest. Si ipse homo animi sui facultates, quae universae animum ipsum constituunt, ex se peperisset, sui ipsius conditor exstitisset, quod fieri potuisse, non facile quisquam concedet.

3. „Quum simplex animi natura esset, neque haberet in se quodquam admixtum dispar sui atque dissimile, non posse eum dividi; quod si non possit, non posse interire.“ Id quidem negari non

potest, naturam humani animi simplicem esse, neque in se quidquam habere admistum dispar sui atque dissimile, quum una cognoscendi et appetendi vi contineatur. Neque tamen inde necessaria consecutione efficitur, animum ita constitutum non posse interire. Huius argumentationis vis a comparatione animi cum corporea quadam re, quae dividi non potest, petita esse videtur. Sed adhibitam comparationem hic nullum locum habere, luce clarius est. Omnis materia, quantum experientia docti scimus, nisi dividi ac separari potest, non potest exstingui, nam exstinctio eius eo tantum perficitur, ut in partes, quibus composita sit, dissolvatur. Sed animum humanum, qui nullam corporis societatem habeat, omnis fugit notio, quam de materia sensibus obiecta conceptam habemus. Inter utrumque nil commune intercedit. Animus spiritalis est, ut hoc verbo utar, materia corporea. — Sed haec res tam aperta est, ut pluribus verbis eam exagitare nihil opus sit. Id unum admonere non ab re fuerit, exstitisse iam antiquissimis temporibus, qui non solum animo hominis, verum etiam ipsi deo corpoream naturam vindicarent, ea opinione adductos, ut fieri non posse arbitrentur, ut quis spiritale quidquam animo conciperet, idque esse iudicaret, nisi corpore etsi tenuissimo esset indutum. At perperam illi iudicarunt. Aliud enim est, animo fingere aliquid, aliud mente et ratione consequi. Hoc postremum pertinet ad res plane spiritales; quae revera sunt, si sufficiens causa, cur sint, cogitanti animo suppeditatur.

4. „Magnaque esse argumento, homines scire pleraque ante, quam nati sint, quod iam pueri, quum artes difficiles discant, ita celeriter res innumerabiles arripiant, ut eas non tum primum accipere videantur, sed reminisci et recordari.“ Miram igitur ingenii celeritatem,

qua pueri innumerabiles res percipiant, auctor noster argumento esse vult, fuisse illos iam ante, quam nati sint. Inde simul colligit, eorum animos morte non exstinctum iri. Hoc postremum quidem etsi ipse disertis verbis non pronunciavit, tamen facile intelliges, ita ab eo iudicari, si Platonem respexeris, a quo illud argumentum mutuatus est. Ita enim Plato in Phaedone Cebetem loquentem facit: *Καὶ μὲν, ἔφη ὁ Κέβης ὑπολαβὼν, καὶ κατ' ἐξεῖνόν γε τὸν λόγον, ὦ Σώκρατες, εἰ ἀληθὴς ἐστίν, ὃν σὺ εἰώθας θαυμά λέγειν, ὅτι ἡμῶν ἢ μάθησις οὐκ ἄλλο τι ἢ ἀνάμνησις τυγχάνει οὕσα, καὶ κατὰ τοῦτον ἀνάγκη ποῦ ἡμᾶς ἐν προτέρῳ τινὲ χρόνῳ μεμαθηκέναι, ἃ νῦν ἀναμνησκόμεθα τοῦτο δὲ ἀδύνατον, εἰ μὴ ἦν ποῦ ἡμῶν ἢ ψυχῇ πρὶν ἐν τῷδε τῷ ἀνθρώπινῳ εἶδει γενέσθαι ὥστε καὶ ταύτη ἀθάνατόν τι ἔοικεν ἢ ψυχῇ εἶναι.* Platonis Phaedon §. 72. ex recensione Imm. Bekkeri.

Hoc argumento, quod Cicero ultimo loco posuit, nihil afferri, quo animorum immortalitas probetur, facile est ad intelligendum. Negare quidem nullo pacto possumus, parvulos pueros ea facultate praeditos inveniri, ut innumerabiles easque difficillimas res admirabili quadam celeritate complectantur. Imprimis mirari subit, ut hoc uno utar, illos vel paullulum aetate progressos patrio sermone ita uti posse, ut animi sensa clare ac distincte patefaciant. Sed eius rei causam, non est, quod longe repetamus. Quidquid parvulis usu venit, novum illud et inusitatum eis est, et ob eam rem ita comparatum, ut cognoscendi cupiditatem in illis vehementer accendat, eorumque animis tantopere affigatur, ut excidere vix possit. Eo id quoque accedit, quod parvuli sola memoria plurimum valent, eiusque ope immensam quandam rerum copiam facile colligunt, collectamque miris modis custodiunt. Sed intelligendi et iudi-

candi facultas, in qua una ingenii vis maxime cernitur, in illis admodum exigua est. Haec progressu aetatis sensim elucet, atque assidua exercitatione tarde lenteque alitur.

Facile igitur apparet, non posse quemquam iis argumentis, quae a Cicerone proposita sunt, eo adduci, ut animum humanum immortalem esse credat. Idem Cicero tantum abfuit, ut in illis argumentis ipse persisteret, ut in eodem libro, quem de senectute conscripsit, animorum immortalitatem prorsus in dubium vocaret. Ita enim cap. XIX. alloquitur senem, qui praeter modum mortem metuit: „O miserum senem, qui mortem contemnendam esse in tam longa aetate non viderit! quae aut plane negligenda est, si omnino exstinguit animum; aut etiam optanda, si aliquo eum deducit, ubi sit futurus aeternus. Atqui tertium certe nihil inveniri potest.“ Et postquam in fine huius libri duce Platone doctrinam de animorum immortalitate exposuit, ac mirifice eo se delectari professus est, quod corporis vinculis aliquando liberatus ex hac turba et colluvione discedat, atque ad illud divinum animorum concilium coetumque proficiscatur, denuo haec verba dubitationis plena addit: „Quod si in hoc erro, quod animos hominum immortales esse credam, lubenter erro; nec mihi hunc errorem, quo delector, dum vivo, extorqueri volo: sin mortuus, ut quidam minuti philosophi censent, nihil sentiam, non vereor, ne hunc errorem meum mortui philosophi irrideant. Quod si non sumus immortales futuri, tamen exstingui homini suo tempore optabile est. Nam habet natura, ut aliarum omnium rerum, sic vivendi modum. Senectus autem aetatis est peractio, tamquam fabulae: cuius defatigationem fugere debemus, praesertim adiuncta satietate. Cap. XXIII. „Praeterquam Cicero Acad. I. 12. ingenue testatur, Platonis philosophia du-

bium suum ac fluctuantem animum, quum de gravissimis quaestionibus agatur, parum confirmari: „Cuius in libris nihil affirmatur, et in utramque partem multa disseruntur; de omnibus quaeritur, nihil certi dicitur.“

Philosophia recentioris aevi valde quidem declinavit ab illa via, quam Plato ceterique veteres philosophi ingressi sunt, ut animos sempiternos esse demonstrarent, neque tamen quidquam illa attulit, quod dubitantium animos satis confirmet, neque afferet unquam. Sola doctrina divinitus patefacta in hac gravissima re ita edoceri homines possunt, ut omnis dubitatio iis eximatur. Quod si ulterius hoc loco persequeremur, fines huius commentationis longius proferremus. Concludamus igitur eam paucis tantum adiectis, quae cum ea re, quam supra tractavimus, arte cohaereant.

Primum qui poterit vera et solida virtute consistere is, qui de sorte sua futura iusto iure dubitet, qui metuat, ne decurso spatio huius vitae una cum corpore animus exstinguatur? Firmissimum virtutis honestatisque praesidium in eo maxime positum est, ut animos immortales esse credatur. Quo igitur sublato facile eveniet, ut homines pravis suis cupiditatibus abrepti ad corporis voluptates omnia referant, ut nequiter libidinoseque vivant. Vita antiquorum populorum, Graecorum praesertim et Romanorum huius rei veritatem declarat. Donec illi studio a natura insito ducti persuasum habebant, hominum animos immortales esse, et hac persuasionem incitati religiosa praecepta institutaque a maioribus tradita diligentissime observabant, eximia quaedam inter eos vigeat morum integritas atque simplicitas. At ubi primum philosophia hanc persuasionem labefactare coepit, sive quod animorum immortalitatem plane negabat, sive quod ad eam probandam rationes afferebat, speciem aliquam

probabilitatis habentes, sed invalidas illas quidem, maxima subinde morum corruptela exorta est. Eo res denique adducta, ut mores antiquorum maxime essent contaminati, quum ipsi summum gradum artium litterarumque bonarum ascendissent. Id quidem infitiandum non est, reperiri in illis vel tum, quum aetas corruptissima esset, eximia quadam virtute praestantes viros, sed hos et paucissimos fuisse, et idcirco maxime eluxisse videri, quod eorum virtus a suae aetatis vitiis plane abhorreret, nemo certe ignorat, nisi qui ipsam antiquitatem ignoret. Ex hoc maxime raro hominum genere iudicare debemus eum, de quo nunc ipsum agimus, M. Tullium Ciceronem, cui imprimis contigerit, ut non solum illis sceleribus mores suos incorruptos servaret, quibus omnes fere eius aequales essent adstricti, avaritia atque prava libidine, sed etiam in unaquaque vitae conditione morum integritatem et innocentiam praestaret.

Deinde qui poterit vita iucunda ac beata esse ei, qui de animi sui immortalitate dubitet? Ita nos homines generati sumus, ut non solum eam, de qua diximus, virtutem et honestatem diligamus, sed etiam incredibili quadam felicitatis cupiditate trahamur. Quam si qui existimant posse in hac vita expleri, eos maximo errore duci ipsa rerum experientia docet. Animus humanus capacior est, quam qui rebus externis et ad corpus pertinentibus satiari queat. Una virtus, nullis septa terminis, eum explere, eaque omnia abunde ei suppeditare potest, quae ad vitam beatam pertinent. Quocirca qui, sprete virtute, unam vitae iucunditatem sectantur, ii tantum abest, ut voti sui unquam compotes fiant, ut sortem humanam miseram ac detestabilem esse fateantur. Hoc ipsum antiquissimi populi, praesentim Graeci testantur. Nos quidem

quum eorum vitam contemplamur, falsa opinione decepti facile in eam sententiam delabimur, ut nihil ea iucundius atque suavius fuisse putemus; sed re tota accuratius considerata, triste quiddam ac luctuosum illa contineri reperiemus. Neque enim negari potest, laudatam illam hilaritatem, per antiquorum vitam diffusam, magis externis moribus, quam animis eorum inhaesisse. Eius rei testimonia aliquot afferre iuvat. Vel ipsum Homerum, antiquissimum Graecorum poëtam, testem laudare possumus. Noti sunt versus illi e septimo decimo Iliadis, quibus Achillem in summo doloris impetu ita exclamantem facit:

*οὐ μὲν γὰρ τί ποῦ ἐστὶν οἴζυρῳότερον ἀνδρὸς
πάντων, ὅσσα τε γαῖαν ἐπι πνεῖει τε καὶ ἔρπει.* Il. XVII. v. 446. etc.

Miseram esse hominum conditionem et maxime propterea, quod deos ipsos miseriarum auctores habeant, idem poëta his versibus persequitur:

*ὡς γὰρ ἐπεκλώσαντο θεοὶ δειλοῖσι βροτοῖσιν,
ζῶειν ἀχνυμένοις· αὐτοὶ δέ τ' ἀκηδέες εἰσίν.* Il. XXIV. 525. etc.

Tantum igitur aberat, ut homines in deorum auxilio spem ac fiduciam ponere debere iudicaret, ut propter calamitatum acerbicatem cum diis ipsis iurgio eos contendere posse probaret:

*Ζεῦ πάτερ, οὐτίς σεῖο θεῶν ὀλωότερος ἄλλος!
οὐκ ἐλεαίρεις ἀνδρας, ἐπὴν δὴ γέινεαι αὐτός,
μισγόμεναι κακότητι καὶ ἄλγεσι λευγαλέοισιν.* Odys. XX. 201. etc.

Hanc Homeri sententiam suam facit Herodotus, antiquissimus historiarum scriptor, quum suavissimam illam narrationem de Cleobe et Bitone ita concludat: *διέδεξέ τε ἐν τούτοισιν ὁ θεὸς, ὡς ἀμεινον εἶη ἀνθρώπων τεθνάναι μᾶλλον ἢ ζῶειν.*

Superiorum vestigia complures alii persecuti sunt. Sophocles, quo non habet Graecia praestantiorē poëtam, ut hunc unum commemoremus, in Oedipo Coloneo disertissimis verbis dicit, non posse hominem quidquam ardentius cupere, quam ut aut natus non sit, aut quam celerrime ex hac vita discedat:

μη φῦναι τὸν ἅπαντα νι-

καὶ λόγον τὸ δ', ἐπεὶ φανῆ,

βῆναι κείθεν ὄθεν περ ἢ-

κει πολὺ δεύτερον ὡς τάχιστα.

Oed. Col. 1219. etc. ed. Lud. Heller.

Neque absimile est iudicium, quod in eadem causa Romani ferunt. Iam apparet ex illa voce „Patet exitus,“ quae apud eos in proverbii consuetudinem venisse videtur, non posse homines, qui temporum angustiis vehementer premantur, alio uti adiumento, ut ex iis se expediant, nisi morte voluntaria. Praeterquam Romanorum sapientissimos et praestantissimos viros non solum mortis voluntariae patrocinium suscepisse, verum etiam eam maximis laudibus extulisse, inter omnes constat. Praetermisso Cicerone, qui de hoc genere mortis Tusc. I. 47. 48. copiose disputans cum alia commemorat, tum fabulam quandam de Sileno, qui quum a Mida captus esset, hoc ei muneris pro sua missione dedisset, ut doceret regem, non nasci hominem longe optimum esse, proximum autem, quam primum mori, praetermisso igitur Cicerone possumus laudare Senecam, suae aetatis facile eruditissimum virum, qui ep. 70. cum alia hac super re scribit, tum haec: „Invenies etiam professos sapientiam, qui vim afferendam vitae suae negent, et nefas iudicent ipsum interemptorem sui fieri; expectandum esse exitum, quem

natura decrevit. Hoc qui dicit, non videt se libertati viam claudere. Nil melius aeterna lex fecit, quam quod unum introitum nobis ad vitam dedit, exitus multos. Ego exspectem vel morbi crudelitatem, vel hominis, cum possim per media exire tormenta, et adversa discutere? Hoc est unum, quod de vita non possimus queri; neminem tenet."

Haec luculenta testimonia eiusque generis quamlibet multa, quae ex antiquis scriptoribus afferri possunt, eandem illorum de misera humanarum rerum conditione fuisse sententiam, satis superque declarant. Quis igitur tantum eorum consensum pro nihilo putare audeat! Fuisse quidem inter antiquos, qui de hac re non idem sentire viderentur, nihil pugnamus. Sed hi audiendi non sunt. Quotquot enim aut in luce publica collocati auctoritatem, potentiam et honores eo animi ardore sectabantur, ut cupiditatum suarum aestu prorsus se abripi sinerent, aut illis voluptatibus, quae corpore percipiuntur, ita se tradiderant, ut nunquam fere ad se ipsos redirent, illi quum vix ullum spatium ad meditandum de gravissimis humanis rebus sibi reliquissent, facile de iis perperam iudicare poterant. At ut quisque ingenio et virtute maxime praestabat, ita facillime et perspiciebat et iudicabat, vitam humanam, multis aerumnis oppletam angustissimisque finibus circumscriptam, nullius pretii esse.